17

I. N. I.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO,

DN. FRIDERICO AVGVSTO

ELECT. SAX. HEREDE,

DISSERTATIONEM SOLENNEM

DE

HÆMOPTYSI

In celeberrima Leucorea, & conſenſu

gratioſæ Facultatis Medicæ,

SVB PRAESIDIO

V I R I

Nobilisſimi, Amplisſimi, Excellentisſimi atqve Experientisſimi

DN. CHRISTIANI VATERI,

Phil. & Med. Doct. Patholog. Prof. Publ. Phyſici Provincialis & Academiæ Naturæ Curioſorum Collegæ meritisſimi,

Dn. Patroni, & Promotoris ſui ætatem devenerandi,

PRO LICENTIA

Summos in Medicina honores Doctorales ſolenniter & legitime conſeqvendi

Publico Eruditorum examini exponit

JO. IGNATIVS GOTTOFREDVS VLRICH

Herbipolenſis,

IN AVDITORIO MAIORI,

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.

Ad d. Octobr. cIↄ Iↄ ccII.

WITTEMBERGÆ, Literis CHRISTIANI GERDESII.

PROOEMIUM.

QVemadmodum excretiones naturales, ſi recte procedunt, bonæ valetudinis indices ſunt, eamqve tuentur & conſervant, ita ſi in ſtatum præternaturalem degenerant, ut vel penitus ſupprimantur, vel modum excedant, graviter valetudinem labefactant, ac varios morbos, tandemqve mortem afferunt. Divinum enim Numen machinam noſtram ita conſtruxit, ut contextum qvendam tubuloſum referat, per qvem continuo humores derivantur, & alii qvidem ad nutritionem partium abeunt, alii vero minus utiles & excrementitii extra corpus profunduntur. Etenim ſangvis noſter ex variis & innumeris particulis eſt confuſus, inter qvas tamen ſumma eſt æqvalitas, qva etiam contingit, ut nulla præ altera conſpicua fiat, neqve hominem lædat, qvia inutiles per varia corporis excernicula evacuantur. Sæpe autem contingit, ut propter varias cauſas illa æqvabilitas tollatur, & qvædam intus retentæ dominatum acqvirant, acqviſitumqve tueantur. Unde etiam conſpicuæ fiunt &

hominem lædunt, ac varios morbos producunt. Hanc turbatam ſangvinis miſtionem non raro etiam efficiunt pori & meatus partium ſolidarum, qvando pervertuntur, & vel penitus obſtruuntur, vel ita patefiunt, ut praeter conſvetos, alios etiam humores admittant, ſimulqve in nimia copia excernant. Qvo fieri porro debet, ut tota corporis machina valde turbetur, ac vires infringantur, variaqve ſymptomata periculoſa importentur; qvia non ſolum humores inutiles & peccantes per ejusmodi immodicas excretiones, evacuantur, ſed etiam laudabiles & boni, qvibus corpus ſuſtentatur & in vigore ſuo conſervatur, pariter effluunt, adeoqve demum corpus, viribus & robore ſuo privatum concidat & intereat, neceſſe eſt. Atqve his malis merito annumeramus Hæmoptyſin, ſeu ſputum illud ſangvineum, qvo ſangvis in magna ſæpius copia cum inſigni virium diſpendio rejicitur ex pulmonibus, ut non raro illi exulcerentur, vel alia vitia contrahant, qvæ difficilem iterum, ſi invaluerunt, curam admittunt. *Multum enim ſputum cruentum ſtatim pernicioſum eſt*, recte inqvit, *Hippocrates Coac. Prænot.* Hunc ergo affectum nimis freqventem, & multa periculoſa ſymptomata invehentem loco ſpeciminis inauguralis exponere conſtitui. Faxit divinum Numen, ut in ipſius gloriam & ægrotorum ſalutem omnia bene cedant.

THES. I.

OMiſſa itaqve ſcholaſticorum explicatione, & ſepoſitis omnibus ambagibus, per Hæmoptyſin, ſive Hæ-

Hæmoptoen, nihil aliud intelligimus, qvam reiectionem, ſeu eruptionem ſangvinis e pulmonibus per os, cum tusſi & ſpuma, a vaſorum ſangviferorum apertone p. n. oriundam. Ejusmodi autem ſangvinis ejectiones non ſolum in pulmonibus contingunt, ſed etiam in aliis corporis locis obſervantur, qvæ inde diverſas ſortiuntur appellationes. Nam, ut de hæmorhagia narium, uteri, hæmorrhoidum, aliarumqve partium nihil dicam, ſæpe ſangvis etiam per poros cutis erupit, cujusqve rei exemplum habet *Benivenius libr. de abditis morborum cauſis cap. 4.* ubi ſangvis ex ilibus profluxit copioſisſime, & velut ex ſecta vena. Exiſtimavi, inqvit ibidem Auctor, venulam foraminibus ſive poris cutis ſua cervice inhæreſcere, indeqve ſtatis temporibus ſangvinem effluere. Interdum ex cavo dente ad XVI. libras emanavit, qvod obſervavit *Sorbait med. Pract. Tr. VI. c. 16.* Sæpe per vomitum propter ſuppreſſa menſtrua profluxit, teſte *Amat. Luſit. Cent VII. curat. 17.* Nonnunqvam illum ex gingivis prodiiſſe vidit qvoqve *Sorbait Eph. Germ. D. 1. an. 2. obſ. 48.* Alii ex aliis corporis partibus promanare obſervarunt, qvod ex obſervationibus medicis ſatis abundeqve conſtare poteſt.

THES. II.

Qvo vero melius Hæmoptoes naturam diſcamus, primum ad ea, qvæ maxime obvia & nota ſunt, attendemus, ut eo melius cauſas morbi internas perſcrutari qveamus; qvamqvam in tam variis hominum et temperamentorum conſtitutionibus non eadem

ſpecie ſymptomata obſerventur, ſed multum inter ſe diſcrepare ſoleant, pleriqve tamen, qvi ita afficiuntur, dolores ſentiunt in pectore, qvi modo dextrum, modo ſiniſtrum latus affligunt. Adeſt qvoqve anguſtia & anxietas pectoris, ſpiritusqve difficulter ducitur, ita, ut ſubinde ſtortor audiatur. Qvidam etiam derepente, nullo prægreſſo hæmoptoes ſigno, afficiuntur, alii vero titillationem in pectore ſentiunt, anteqvam ſangvis erumpit. Cujus rei exemplum habet *Salmuth*, ubi hæmoptoicus triduo ante ſemper titillationem perſenſit, qvando malum recurrebat. *Cent. III. obſ. 43.* Invaleſcente autem malo copioſior ſangvis fertur, qvi ſæpe cum ſpuma, non nunqvam etiam ſine dolore ſineqve tusſi rejicitur. Ita commemorat *Wedelius* fœminam, qvæ ſangvinem per os excrevit ſpumoſum & floridum ſine dolore, cum reſpiratione aliqvo modo difficili, ſed qvod ſingulare eſt, ſemper absqve tusſi. *Eph. Germ. D. 1. an. 2. obſ. 45.* Sangvis autem qvi ore rejicitur, nunc copioſus eſt, nunc parcior, interdum cum magno thoracis labore, ſæpe etiam repente & facile prodit, isqve nunc inſipidus eſt, nunc acer & corroſivus, modo acidus ſalſusqve, modo alias habet qvalitates. Interdum etiam florido, aut ſubflavo, vel alio colore præditus apparet. Nonnunqvam craſſus, nigricans & grumoſus exſpuitur, & vel pure vel aliis humoribus miſtus cum pravum colorem, tum dolorem exhibet, unde deniqve homo viribus attritus & confectus vitam cum morte commutare cogitur.

THES. III.

Hæc autem ſymptomata, qvæ expoſui, non in omni ſemper hæmoptyſi obſervantur, ſed pro cauſarum varietate modo mitius modo vehementius affligunt. Ex qvibus facile iudicemus licet, in hæmoptyſi ſangvinem ſpumoſum, floridumqve, & ut plurimum cum tusſi exſpui, adeoqve nullo negotio diſtingvi poſſe ab illo ſangvine, qvi ex aliis corporis partibus in os decumbit, ac ſpuitione rejicitur. Qvando enim ſangvis manat ex ore, ſimplici ſputatione, vomitu vero ex ventriculo, & ex gutture cum ſcreatu & tusſicula expellitur. Sin vero aſpera arteria ſangvinem mittat, ille cum tusſi & majori ſcreatu & ſubinde etiam cum dolore ſed exiguo excernitur. Qvi vero ex pulmonibus profluit, ſpumam habet, atqve cum tusſi rejicitur. Qvod recte animadvertit *Hipp.* qvando ait: *Qvicunqve ſpumantem ſangvinem extusſiunt, iis ex pulmone educitur. Multa autem & vehemens tusſis eſt, ſi ſangvis ex locis trahitur pectoris profundioribus, major, ſi a ſuperis. S. V. aph. 13.*

THES. IV.

Præterea etiam experientia conſtat, illos, qvi ſemel hoc modo tacti ſunt, nunqvam ab eadem tutos eſſe, ſed per certa intervalla breviora & longiora ſtataqve vel vaga affici, & interdum ita excruciari, ut in vitæ periculum veniant. Vere autem potisſimum recurrere ſolet, qvia ſangvinis motus, qvi tempore hyemali ſegnior tardiorqve erat, vegetior redditur, humoresqve a calore exagitati, vehementius ebulliunt,

in

in conceptaculis ſuis, eaqve facile aperiunt, vel penitus rumpunt. Talem hæmoptyſin vernalem obſervavit *Foreſtus L. XVI. obſ. 11. c. 22.* Rhodius vero anniverſariam obſervavit *cent. 1. obſ. 34. Conf. qq.* hanc in rem *Bened. Sylvatius Cent. II. conſil. 36.*

THES. V.

Atqve hæc abunde faciunt, ad cognitionem hæmoptoes, ejusqve indolis & naturæ explorationem, qvæ tamen magis patebunt, ſi etiam ad cauſas procatarcticas & manifeſtas attendamus, qvarum opera in generando hoc malo magna eſſe ſolet. Inter illas autem aer primum tenet locum, cui etiam Hippocrates ſuo jam tempore tantum tribuit, ut mortalibus vitæ, morborum autem ægrotis auctorem eſſe pronunciaverit. *Lib. de morbo ſacro.* Nam præter reliqvas qvalitates, qvibus non raro nocet, ſæpe calidior evadit, ſangvinemqve rarefaciendo exagitat, & ad hæmoptyſin diſponit. Frigidior autem eundem condenſat, & motum ſuum per pulmones impedit, qvo fit, ut pulmonibus & vaſis ſuis vis inferatur, ac profuſio ſangvinis facilitetur. Idem præſtat aer variis effluviis mineralibus inqvinatus, præſertim erodentibus & ſcindentibus, a qvibus ita pulmonum ſubſtantia læditur, atqve eroditur, ut inde facile exulcerationes & aliæ pulmonum corruptiones ſangvinisqve extravaſationes naſcantur. Qvæ etiam cauſa eſſe videtur, qvam ob rem metallifoſſores, & qvi metalla varia tractant, ſangvinis ſæpe ſpuitione laborant, ac aliqvandiu poſt in pulmonum exulcerationem tabem-

bemqve incidunt. Idem malum expectare licet a cibis aromaticis, acrioribus, acidis ſalſisve, qvibus qvippe ſangvis valde afficitur. Indeqve vel acrimoniam vel acorem contrahit, & erodendo vaſcula exilisſima, vel exulcerando pulmonum ſubſtantiam, ſpuitionem cruentam excitat. Neqve culpa vacat potus præcipue generoſus & calidus, qvo qvippe plenitudo vaſorum & humorum ebullitio ruptionesqve vaſorum aliaqve mala producuntur. Qvorſum etiam medicamenta nimis calida & acria referenda, qvod obſervavit *Gvarinonius*, ubi qvidam hauſto calido potu decoctionis ligni qvajaci loco ſudoris ſangvinem ſudavit, & aliqvandiu poſt in hæmoptyſin prolapſus eſt. *Conſil. 210.*

THES. VI.

Sunt praeterea multa alia, qvæ ad ſpuitionem cruentam viam ſternunt. Ad ea pertinent nimiæ corporis exercitationes atqve commotiones, ex qvibus non raro ruptiones vaſorum contigiſſe obſervatum eſt. Hæ enim totum corpus valde ſuccutiunt, ſangvinemqve, qvi antea ſedato motu per corpus ferebatur, exagitant, qvo fieri omnino debet, ut partium robur visqve infringantur, ac vaſa debilitentur, adeoqve ruptiones & ſangvinis ſpuitiones producantur. Idem ſentiendum qvoqve eſt de ſuppresſis excretionibus naturalibus atqve conſvetis, v. g. menſium, hæmorrhoidum aliarumqve, qvibus humores, qvi excerni debebant, intus retinentur, adeoqve accumulati, vaſa aggravant eademqve non raro diſrumpunt. Cujus rei exemplum relatum legimus in *Eph. Germ. D. II. A. 4. obſ. 19.*

ubi mercator, qvi antea fluxum hæmorrhoidalem patiebatur; poſtea qvam vero illum ſupprimebat prava victus ratione, in hæmoptyſin incurrebat. Qva tamen liberatus eſt appenſis hirudinibus. A ſuppreſſis menſibus idem malum natum eſſe commemorat *Amat. Luſitanus Cent. VII. curat. 17.*

THES. VII.

Non raro etiam hæmoptoes naſcitur a vehementioribus animi commotionibus v. g. terrore, qvo femina ſubito hoc affectu perculſa hæmoptoica facta eſt. Hæc enim per feneſtram, a canicida canem mortuum prætervehi videns, hoc ſpectaculo ita perterrita eſt, ut copioſum, nunqvam alias conſvetum, ſangvinem evomeret. *Eph. Germ. D. II. A. 8. obſ. 102.* Idem malum contigiſſe virgini, a conſternatione pariter tactæ, relatum legimus in citatis *Eph. Germ. D. II. A. 4. obſ. 45.* ubi auctor ita finit: Ex caſu hoc aperte liqvet, virginem ex conſternatione & imaginatione hæmoptyſin contraxiſſe, qvatenus effluvia contagioſa ex decumbentis affinis pulmonibus egreſſa, ſanum corpus infecerint, ut pulmones ad diſpoſitionem talem redegerint; phthiſin vero tandem vitae filum abrupiſſe mirum non eſt, cum hæmoptyſin inſeqvi ſoleat, juxta *Hipp. S. VII. aph. 15.* Eandem contagioſam hæmoptyſin obſervavit qvoqve *Wedel. Phyſiol. S. III. c. 19.*

THES. VIII.

Præter ea, qvae expoſuimus, ſunt adhuc alia, qvae externe corpori accidunt, & ad hanc ſpuitionem viam ſter-

ſternunt. Qvorum omnium freqventisſimæ ſunt pectoris contuſiones, plagæ, caſus, ictus, vociferationes, ſaltationes, balnea nimis calida, compresſio pectoris, vomitus vehementior, qvæ cuncta eo ſpectant ut ejusmodi ſpuitionem cruentam provocent. A freqventiore & immoderato uſu balneorum excitatam hæmoptoen annotavit, *Ant. ab Altomar. in arte med. p. 340.* A ſaltu nimio eandem productam vidit *Paul. de Sorbait Med. pract. Tr. 1. c. 46.* Idem confirmat de febribus *Pechlini*, ac præcipue malignis, qvæ aliqvando hæmoptoen pepererunt. *de morb. pect. p. 669.*

THES. IX.

Ex his jam clarum atqve manifeſtum erit, partem in hoc malo affectam pulmones eſſe, qvoniam ſangvis cum tusſi & ſpuma, ſeu multis minimis bullulis præditus rejicitur per os; & cauſam proximam conſiſtere in apertione vaſorum ſangvineorum in pulmonibus efficitorum, & omnes prædictas cauſas tam internas, qvam externas eo ſpectare, ut dividant vaſcula, vel eadem erodant, vel penitus diſrumpant, unde ſangvis extravaſatus per ſpuitionem reddi debet.

THES. X.

Qvod ut eo melius cognoſcamus, qvinqve faciunt modos medici, per qvos ſangvis, qvi naturaliter continetur in vaſis ſuis, extra illa fluere ſtatuitur. *Primus* eſt diæreſis, ſeu inciſio, qvando vaſcula pulmonum vel cæſim, vel punctim dividuntur, ut inde ſangvis manet. Hoc obſervamus in vulneribus, punctionibus, ictibus

 glan-

glandium a Sclopetis inflictis, qvibus omnibus variis modis pulmones læduntur ac vulnerantur, ut non ſolum ſangvinis extravaſatio, ſed etiam eorundem corruptio, exulceratio, aliæqve labes producantur. *Secundus* eſt diabroſis ſeu eroſio, qvando ab humoribus acribus acidiſve vaſcula totaqve pulmonum ſubſtantia eroduntur, aut affrictu etiam & qvaſi attactu cujuslibet corporis ad contactum immediatum poſiti, atqve ita paulatim abradentis, ductus illi qvaſi atteruntur, ut facile diſſolvantur, ſangviniqve exitum concedant. Idem contingere poteſt a corporibus, vel aliis rebus ibidem præter naturam genitis, qvæ pariter pulmonum vaſculis fraudi ſunt, eademqve deſtruunt, atqve dilacerant. *Tertius* fit per rixin, ſeu ruptionem, ubi a variis & innumeris tam internis qvam externis, aut alia vi qvadam divellente ductus iſti diſrumpuntur, ſangvinisqve ſputum producitur. Qvorſum inprimis pertinent magnæ vociferationes, & pulmonum compresſio, qva ſubinde vel plus juſto expanduntur pulmones, & dilatantur, vel arctius comprimuntur & conſtipantur, ut ſangvinis motus hoc modo coerceatur, qvi deinde in vaſculis ſuis congeſtus & accumulatus, rumpendo eadem, exitum qværit, qvæſitumqve tuetur. *Qvartus* eſt diapidiſis, ſeu tranſudatio, qvando ſangvis paulo rarefactior, vel pori patentiores ſunt, ut contineri in ductibus ſuis, neqveat; indeqve per poros qvaſi tranſudando extra limites ſuos prodeat, hinc qve varii generis ſudores ſangvinis naſci ſoleant. Deniqve *qvinto* etiam addunt anaſtomoſin, ſeu coapertionem oſculorum, per qvæ ſangvis profluit, qvando vaſcula

præ-

præternaturaliter hiant, & per ejusmodi hiatus ſangvinem effluere ſinunt, qvi deinde per os reicjitur. Atqve his modis ſangvinem e conceptaculis ſuis profundi vulgo ſtatuitur, qvamvis anaſtomoſin illi non concedunt, qvi vaſa cuncta continua eſſe, adeoqve oſcula ejusmodi nulla dari perhibent. Qvocunqve autem modo pateant vaſa ſangvinis, idqve vel in pulmonibus, vel in aliis partibus eveniat, modo ſangvis per aſperam arteriam rejici posſit, ſputum ſangvinis, ſeu hæmophyſis excitabitur.

THES. XI.

Sangvinem igitur in pulmonibus extravaſari posſe, nemo amplius, reor, inficiabitur. Qva vero ratione ita extravaſatus ſangvis in aſperam arteriam penetret, ut per illum exſpui posſit, medici nondum uno ore omnes inter ſe conveniunt atqve conſentiunt. Nullum dubium eſt, una cum vaſe ſangvifero rupto, rumpi etiam poſſe bronchias, qvas cum deinde ſangvis intret, omnino exſpuitione rejicitur. Qvam ſententiam etiam comprobare ex *Galeno* licet, qvia ſangvis ex rupto pulmonis vaſe dimanans floridus ſemper ac fluidus eſt, ideoqve immediate ex vaſis ſuis bronchias ingreditur; ille autem qvi ex aliis pectoris locis profluit, nigricans & craſſus apparet, qvia aliqvandiu jam hæſit in pulmonibus *Lib. IV. de loc. c. 5.* Alias vero nihil impedit qvin ſangvis etiam tranſudare per poros & tubulos ampliatos in bronchias posſit, & qvo major fit illa dilatatio, eo qvoqve copioſior ſangvis per os rejiciatur; in qvam ſententiam ire videtur *Benivenius* ſupra laudatus

tus, qvando ejusmodi ſangvinis tranſudationem per poros cutis obſervavit l. c. qvem ſeqvitur *Paul. de Sorbait*, qvi eundem per poros effluxum infra axillam dextram in bajulo vidit. *Med. pract. Tr. VI. c. 16. conf. m. Pechl. l. c.*

THES. XII.

Et qvemadmodum partem affectam diximus eſſe pulmones, ita ex apertione vaſorum omnia ſymptomata, qvæcunqve in hoc malo adeſſe ſolent, exponi poſſunt. Sentiunt autem hæmoptoici, anteqvam eruptio ſangvinis ingruat, dolorem in pectore, qvia ſangvis magno niſu irruens in vaſcula minima, illa diſtendit, qva villorum ſenſilum diſtractione, minori vel majori, major etiam vel minor dolor excitatur. Adeſt qvoqve anguſtia & ſpiritus difficultas, qvia ſangvis in vaſis ſuis incarceratus, valde illa diſtendit, vicinasqve bronchias comprimit, qvo fit, ut minus libere expandi qveant, & itus reditusqve ſangvinis per pulmones ita impeditus, difficultatem ſpiritus pariat. Præcedit etiam, titillatio, qvando ſangvis, in vaſis ſuis orgaſtice commotus, ſpiculis ſuis ſalinis leniter partes nerveas irritat, ac titillationis ſenſum producit. Exit porro ſangvis cum ſpuma propter admiſtum in pulmonibus aerem, & diviſionem minimorum in pulmonibus factam, a cujus particulis ſinguli ſangvinis gelatinoſi globuli in plures veſiculas, aere plenas, expanduntur, qvæ ſpumam conſtituunt. Nigricans autem moram, qvam in pulmonibus fecit, indicat, arctiusqve infarctus, & a motu conqvaſſativo pulmonum compactus dif-

difficulter, & non niſi cum labore thoracis redditur. Sic puri ſi miſtus ſangvis, aut computrefactus, vel alio pravo odore & colore præditus, viſceris corruptelam plerumqve denotat, qvo ſtatu periculum eſt, ne phtiſis pulmones invadat, ac hominem lenta morte conſumat atqve iugulet. Hæc, & ſi qvæ ſunt alia ſymptomata, ab apertione vaſorum, ſangvinisqve qvalitatibus dependent, exindeqve etiam facile exponi & explicari poſſunt.

THES. XIII.

Exinde oritur etiam prognoſis, qvæ hæmoptoes eventum præ dicit. Intellectu autem facile eſt, periculoſum eſſe hoc ſangvinis ſputum, qvod cum corpus viribus privat, tum diuturnos & calamitoſos morbos, ac præcipue phthiſin parit. Hoc perpetuo obſervare licet, inqvit *Rich. Morton. Phiſiol. L. III. c. 5.* qvoties ſcilicet hæmoptoe precedit, phtiſin pulmonalem ſubſeqvi ſolere; ideoqve prudentem et circum ſpectum medicum, ad curationem hæmoptoes evocatum, decet non tantum præſagio, de phthiſi ſubſecutura, tempeſtive prius ſuæ atqve etiam artis medicæ famæ conſulere, verum etiam qvantum in ſe eſt, cautionibus & medicamentis idoneis hunc talem hæmoptoes exitum æqve conſulere, ac ipſum præſentem morbum curare, vel ſaltim nihil in ejus curatione facere, vel tentare, qvod ægrum phthiſi magis proclivem reddat. Qvod etiam multo ante prædixit *Hippocrates* a ſangvinis ſputo inqviens puris ſputum, a puris ſputo tabes & fluxus, cum vero ſputum retentum fuerit,

erit, moriuntur. *S. VII. aph. 15. 16.* Ac tametſi evacuationes naturales valetudinem conſervant, tamen qvando modum excedunt, vel per vias minus conſvetas fiunt, malæ ſunt, facileqve morbos vel mortem afferunt. Ubi etiam ſangvis plurimus effluxerit, ſingultus, aut convulſio ſuperveniens malum. *S. V. aph. 3.* Id qvod non raro obſervatum eſt in hæmoptoe, qva ſæpe ad multas horas ſangvis per os rejectus fuit, unde tabes vel convulſiones natæ ſunt, qvæ mortem accelerarunt. Indicat enim ejusmodi cruenta exſpuitio ſolutam unitatem vaſorum pulmonalium, qvæ vel plurima mala poſt ſe trahit, vel intempeſtive cohibita, pulmones obruit, illos exulcerat, aut inducta ſyncope præter ſpem hominem occidit. Hinc recte dixit *Hipp.* Sangvinem ſuperne efferri, qvaliscunqve ſit, malum. *S. IV. aph. 25.* Qvod ſi vero læſio vaſorum pulmonalium minor eſt, & inter principia recte occurritur, dum recens malum eſt, & inflammatione pureqve caret, ſæpe evaſiſſe ſic laborantes obſervatum eſt. Criticæ autem exſpuitionis cruentæ qvoqve ratio haberi debet, ne qvantitate excedat, vel partem ſangvinis extravaſati relinqvat, ſucceſſu temporis in putredinem, pulmoni & maſſ. ſangvineæ infeſtam, abituram; licet multos qvoqve per ſatis longum temporis ſpatium ſangvinem ore exſpuiſſe ſine detrimento valetudinis, obſervationes medicorum teſtentur. Qvorſum imprimis pertinent duo exempla a Plinio poſteritati relicta. Sic autem habet: profluvium ejus (nempe ſangvinis) uni fit in naribus homini, aliis nare altera, aliis utraqve; qvibusdam per inferiora;

multis

multis per ora ſtato tempore, ut nuper *Macrino Viſco*, viro prætorio, & omnibus annis *Voluſio Saturnio*, urbis præfecto, qvi nonageſimum etiam excesſit annum. *L. 11. H. N. c. 38.* Qvod etiam confirmat *Tulpius*, & duobus exemplis virorum in medium allatis, qvi hoc fluxu laborarunt, hoc deniqve effatum reliqvit: inconſiderate facit, qvisqvis præpoſtere animum proſternit exſpuentibus *Lib. 11. obſ. 2.*

THES. XIV.

Nunc ad curationem accedamus neceſſe eſt, qvæ præcipit, ut ſangvis vel motu, vel copia & acrimonia ſua peccans corrigatur, vaſa pulmonum aperta occludantur & ſangvis in iisdem hærens diſſolvatur, ne ſtagnando computreſcat, & pulmones inficiat, adeoqve tabem, vel ulcus aliqvod producat. Ad qvod conſeqvendum Venæ ſectio, ſi ſangvis abundat, inſtituenda eſt, ut ejus copia minuatur, majorqve vaſorum apertio præcaveatur; ita tamen ut virium & ætatis rationem habeamus. Id enim intellectu facile eſt, plus ſangvinis mitti poſſe in vegetis & ætate florente conſtitutis, qvam in macilentis & ſuccorum inopibus; neqve etiam una ſed repetitis vicibus ſangvis exhauriendus eſt, ſed prout cauſæ & circumſtantiæ id poſtulant. Nocet etiam ſangvinis misſio, ſi ab acrimonia & eroſione malum ortum duxerit, qva non raro morbum invaluiſſe compertum & comprobatum eſt. Loco venæ ſectionis qvidam commendat hirudines ano appenſas, qvibus pariter ſangvinis qvantitas evacuatur

cuatur atqve diminuitur. Cujus rei exemplum elegans habet *Ledelius in Eph. Germ. D. II. A. 4. obſ. 19.*

THES. XV.

Neqve etiam negligenda eſt expurgatio fæcum alvinarum, qvando præſertim alvus adſtrictior fuerit, minusqve officium ſuum fecerit; ſollicitari autem debet pil. de ſuccino Crat. maſtich. tartar. Schroed. & Bontii vel ſimilibus informa pulveris & potionis, addito ſtimulo tartareo v. g. crem. Tartari, vel Tartaro Vitriolato, Sale Tartari; Item reſin. Jalapp. ſcammonii &c. qvibus ſine magna ſangvinis commotione colluvies fæcum removeri ex alvo poterit. Vomitio autem nunqvam eſt procuranda, qva graviter læduntur pulmones, & ſi paucus prius ſangvis rejectus fuit, nunc propter ruptionem vaſorum, aut dilacerationem, a motibus ſpasmodicis ventriculi, diaphragma & pulmones ferientibus, tanta ſæpius hæmorrhagia nata eſt, qvæ nullis amplius remediis compeſci potuit, & inopinatam perniciem intulit.

THES. XVI.

Omiſſa vel peracta venæ ſectione, aliaqve repurgatione, remedia motum & acrimoniam humorum temperantia, qvæqve vaſa rupta, exeſa vel inciſa conſtipant, atqve conſolidant, adhibere debemus, ita tamen, ut ſangvinis grumoſi & juxta vaſcula rupta hærentis, rationem habeamus. Si enim ille extravaſatus

tus ibidem ſtagnet, neqvaqvam adſtringentia fortiora, eaqve ſola in uſum vocanda ſunt, ne ſubita ejusmodi et intempeſtiva adſtrictione graviora mala invehamus, unde ſuffocatio, putrefactio ac ſangvinis & pulmonum corruptio, inflammatio & ulcera immedicabilia orta eſſe, experientia compertum habemus. Tametſi enim qvædam induciæ ab ejusmodi adſtringentibus dantur, ita ut extra periculum ægrotans poſitus videatur, tamen infidæ ſunt, & clam inſidioſe dominatur malum, atqve ex mora vires & incrementum ſumit, donec vaſa iterum a præternaturali ſangvinis motu in paroxyſmo ſubſeqventi nimis diſtendi contingat, unaqve pulmonum ſubſtantia corrupta & putrefacta ulcera inſanabilia contrahat, qvæ ægrotantem, nihil mali ſibi timentem, præter omnem opinionem interimunt. Et qvidem hæc eſt fatalis illa hæmoptoe, inqvit ſupra laudatus *Rich. Morton. l. c. p. 253.* qvæ ut difficilem curationem admittit, atqve ægro ſæpius inexpectato ſupervenit, ita febrim primo putridam, dein hecticam conjunctam habet, qvæ in phthiſin fatalem atqve incurabilem ſæpiſſime terminari ſolet. Idem qvoqve confirmat Montanus, qvi puerum hoc malo laborantem, cui imperiti medici antea intempeſtive adſtringentia fortiora propinaverant, ita ut ſangvis in pulmonibus cohibitus jam computreſcere inciperet, reſolventibus, qvæ ſangvinem coagulatum & putridum diviſerunt & expectorarunt, ſanavit *Lib. II. obſ. 3.*

THES. XVII.

Remedia autem qvæ ſangvinem ſiſtunt & incraſſant, vaſaqve aperta occludunt ac conſolidant ſunt rad. biſtort. tormentill. ſymphyt. conſolid. maj. rub. tinctor. caryophyllat. pimpinell. ſangviſorb. pentaphyll. herb. plantag. centinod. burſ. paſt. auricula mur. alchimill. mille fol. ſcabioſ. pyrol. ſanicula fl. balauſtior. roſar. rubr. acac. myrtill. ſumach, plantag. burſ. paſtor. granatinctor. pap. alb. hord. toſtum. farina fabarum. Succus expreſſus & depuratus polygon. plantag. verbaſc. catechu, acac. hypocyſtid. ſangv. Dracon. Gummi tragacant. arabic. iunip. cortices. myrobal. mali cor. thus, myrrh. maſtiche, reſin. laricea ſtyrax, ſuccin, Terr. ſigillat. bolus arm. lap. hæmatit. corall. mater. perlar. C. C. & ebur ſine igne & uſt. ſarcocoll. ichthyocoll. unic. mar. & foſſile. Sperniola Cr. Terr. Vitriol. dulc. croci Mart. adſtringentes, trochiſc. de carrab. de Terr. Sigill. de ſpod. ſpec. diaplantagin. Mynſich. diatragac. frig. diatrion. ſantal. diarrhod. abbat. pulv. ſtipt. Croll. extr. ſymphyt. tormentill. pil. de bdell. de cynogloſſ. de ſtyrac. Conſerv. roſ. vel menth. cydonia cocta in aqva chalybeata, theriaca, diacod. philon. rom. et perſic. reqvies Nicol. Laudan. op. eſſ. traumat. Hagendorn. l. Mich. eſſ. Mart. cydon. pomat. liqvor. Martialis &c. ex qvibus varie inter ſe miſtis varii pulveres & potiones additis aqvis, v. g. plantag. burſ. paſt. centinod. cichor. portulac. contra ſputum Dorncreul. Syrupisqve adſtringentibus cydonior. roſ. ſicc. de ſymphyt. myrtin,

tin, corallior. confici atqve ægrotantibus propinari poſſunt.

THES. XVIII.

Hæc autem medicamenta, qvæ varia ſunt & vel mitius, vel vehementius adſtringunt promiſcue non ſunt adhibenda, ſed delectus eorum inſtitui intereſt, ne adhibendo fortiora alia mala invehamus, aut mitiora in uſum vocando, ſputum invaleſcat, & ex mora vires ſumat, ut deinde vel nullam, aut nonniſi difficilem curationem admittat. Proinde ſatius eſt cauſarum habere rationem, & pro illarum varietate modo fortiora, modo mitiora adhibere, ita tamen, ut ſemper vires reſpiciamus, & qvantum fieri poteſt, illas conſervemus. Ubi enim vires proſternuntur, ut ægrotans impetum morbi amplius ferri neqveat, ſpes ſalutis ancipiti premitur periculo. Qvod etiam præcipit *Hipp.* qvando medicamenta ad naturam morbi, & vires accommodanda eſſe dicit: Medicamenta fortiora, inqvit, a natura in debilibus & parvis morbis dare non oportet, neqve paucitate medicamenti debilitas ipſius facienda eſt: ſed fortibus natura fortibus pharmacis utendum eſt, debilibus vero pharmacis non fortibus. Neqve partiendum eſt medicamentum, ſed ſingulis ſecundum naturam, debilibus qvidem debilia a natura, fortibus vero morbis fortis naturæ pharmaca exhibenda ſunt. *de Locis in hom.*

THES. XIX.

Atqve his qvidem remediis, qvorum multa ſunt expoſita, recte curationem hæmoptoes auſpicamur, ac facile qvoqve eandem, niſi ex imprudentia error committitur, abſolvimus. *Riverius* qq. ſputum cruentum decocto amyli ſine lacte parati, in aqva, per menſem integrum ſumto, feliciter curavit *Cent. IV. obſ. II.* ex qvo deinde nonnulli looch pararunt cum albumine ovi, vehementer agitato, cui aliqvid ſachari roſati adjectum fuerit. *Hartmanno* autem familiaris fuit potiuncula ex aqva ſtill. rad. urticæ majoris cum ol. victriol. ad gratum acorem; cui nonnulli addunt pulverem lap. hæmatit. & laudanum opiatum, ſed in minima doſi, qvæ tamen augeri facile poſſunt, qvando neceſſitas urget & nimia copia ſangvis effluxit. Temere autem theriacalia uſurpare non debemus præſertim in hæmorragia magna, qvia exagitant ſangvinem, ejusqve eruptionem vehementiorem reddunt; Unde magis conveniunt opiata in forma liqvida vel humida, Tinctur. acidulæ fl. pag. rh. Sulphur. vitriolat. antiphthiſica Gramm. lap. Hæmatit. aut catech. Mercurialis, præmiſſa venæ ſectione, ſemen hyoſcyami albi in pulvere cum ſaccharo roſar. veteri & ſyr. portul. ſumtum commendat. *Conſil. medic. 17.* *Crato* uſui diuturno chamedryos hoc malum ſanavit. *Lib. V. epiſt. p. 377.* *Heurnius* hoc electuarium excellens vocat, & præclare ſangvinem ſiſtere ſcribit, ac conficitur ex lap. hæmatit. in tenuisſimum pollinem redacti Drach. ſemis. ſem. hyoſcyam.

pap.

pap.alb.ana Drach.iij. Terr.ſigill.corall.rubr.pulveri ſat. an.Drach. ij. camph. Drach. ſem. conſer. vet. roſar Unz. ij. cujus doſis Drachm. ſem. ad 1. veſperi & mane aſſumi poteſt. Neqve etiam omittenda eſt mixtura Sylvii ad qvoscunqve ſangvinis fluxus utilis, qvæ cochleatim ſæpius ſumta, curabit plerasqve vaſorum rupturas, & ſupra multorum expectationem ſangvinis effluxum brevi tollet. *Prax. L. I. c. 9. §. 20. collato cap. 20. §. 16. & cap. XXIII. §. 15.* ejusdem libri. Maxim opere laudat *Paul. de Sorbait* ſemen plantagin. ad Drach. j. ſæpius aſſumtum, & ſecretum eſſe domus ſereniſſimæ Mantuanæ. dicit. *Med. Pract. Tr. I. cap. 46.*

THES. XX.

Sæpenumero autem accidit, ut ſangvis extravaſatus circa aperta vaſcula hæreat atqve ſtagnet, qvi, niſi diſſolvatur, facile computreſcit, & ulcera pulmonum excitat. Qvo caſu omne glutinans & qvicqvid adſtringit & refrigerat, damnoſum atqve noxium erit. Proinde ea prius propinanda ſunt remedia, qvæ concretum ſangvinem blande diſſolvendi vim habent, qvo diviſo & reſoluto, per os rejici debet, qvicqvid intus hæſerit. Rejecto vero ſangvine ſtatim adſtringi intereſt, ita qvidem, ut blanda diſſolventia eisdem admiſceamus, vel interponamus. Veteres adhibebant poſcam ex aqva & aceto, qvod remedium familiare fuit Galen. ſicut patere poteſt ex libr. V. method. c. 8. cui qvidam lap. cancr. l. mandibul. lucii piſc. aut dent. eqvi mar. addunt. Nonnulli ſolo ſpermate ceti utuntur. Laudatur etiam a qvibus-

dam

dam pulv. Meſue cum antim. diaph. ac ſpermate ceti. Multi propinant decocta pectoralia; & vulneraria, additis ſyr. de ſcabioſ. vel de hyſſop. vel capillor. veneris vel heder. terreſt.

THES. XXI.

Præterea illud qvoqve, hoc loco in memoriam revocare debemus, qvod ſupra dictum eſt, hæmoptoen non raro poſt ſe relinqvere phthiſin & pulmonum exulcerationem, qvatenus ſangvis, a præpoſtero adſtringentium uſu retentus, computruit, pulmonesqve infecit, ac phthiſin deniqve produxit. Qvod ut ne fiat, maximopere laudat corticem peruvianum *Cl. Morton*, cujus egregias vires ſæpe feliciſſimo ſucceſſu expertus eſt, qvotiescunqve in uſum vocavit. Sic autem ſcribit: & ſicuti præſentem hæmoptoen cito & tuto ſiſtit & futuram etiam prævenit: ita hæmoptoen hoc modo curatam nunqvam in phthiſin terminari vidi. Flamma enim hoc modo perfecte extincta, ſangvis ad motum & craſin naturalem reducitur, qvo appetitus ſtatim redit, pulmones naturali motu & temperamento fruuntur, & purpurei penus diſpendia ſenſim reparantur; Donec æger tandem, licet paulatim, priorem robuſtum & athleticum ſtatum redintegratum, vel forſan meliorem, qvam antea conſeqvitur, ſine vel minimo hectici caloris gradu, vel ſubſecuturæ phthiſeos metu *l. c. p. 255.* Neqve etiam id injuria; Satisfacit enim omnibus indicantibus, & egregie munere ſuo perfungitur. Gaudet enim hic cortex non ſolum magna copia particula-

rum

rum terreſtrium & adſtringentium, qvibus vaſcula aperta conſolidat & unit, humorumqve acrimoniam obtundit & corrigit; ſed habet etiam partes multas ſalinas, qvibus ſangvinem grumoſum reſolvit atqve dividit, & ad expurgationem per os diſponit. Ut falſi ſint, qvi hoc remedium infidum vocant & cum in curatione febrium intermittentium, tum hæmoptoes deteſtantur atqve rejiciunt.

THES. XXII.

Ut autem ulcus pulmonum præcaveatur, ac eorundem conſolidationi recte proſpiciatur, conveniunt apozemata, e ſupra recenſitis remediis parata, in qvibus varii generis ſpecies vel eſſentiæ aſſumi poſſunt. Inter multa optimum erit qvod conficitur ex rad. Chin. cum raſ. lingni ſaſſafras, macerato in aqva communi, cui addi posſint rad. ſaſſaparill. ſcorzon. conſolid. mai. alth. helen. glycyrrhizæ ſantal. rubr. herb. ſcabior. pulmonar. heder. Terreſt. capilli venar. alchymill. millefol. fl. roſ. rubr. violar. tusſilag. ſiliqvæ dul. ſine granis, ſem. aniſ. fanicul. paſſul. minor. coctis in aqva communi, adjecto, ſi lubet, ſyr. capill. vener. vel de hyſſop. vel diacod. Aſſumi in hoc decocto qvoqve poſſunt eſſentiæ traumat. Mich. vel Hagendorn. elix. pectoral. eſſ. anod. eſſe mart. cydon. pomat. qvæ vires decocti augent, ut eo melius conſolidatio promoveatur. *Deckerus* commendat uſneam

cranii humani interne & externe & uſurpatam *in not. ad praxin Barbette c. XXII. Sorbait* maximopere laudat ſem. pap. alb. Drachm. ſem. vel ſyr. de pap. vel ipſum diacodium omni magne ſumptum. Qvibus tamen merito præferas, Balſamum Lucatelli, ſi ſæpius in ſeptimana propines non enim ſolum ulcus pulmonum impedit, ſed etiam blande conſolidat, atqve conglutinat, cujus legitimo uſu multos convaluiſſe aut diu ſatis tuos & immunes ab omni pulmonum labe & noxa vixiſſe experientia compertum, atqve cxmprobatum eſt.

THES. XXIII.

Neqve etiam negligenda ſunt topica & externa, qvæ internis vim roburqve addunt, & non parum curationem hæmoptoes adjuvant. Hunc in finem pectori adſtringentia illinunt. v. g. ol. maſtich. roſar. omphacin. de mentha, de abſinth. myrtin. cydonior. vel imponunt empl. v. g. contra rupturam, de cruſta pan. aut adhibibent ungventa v. g. ungventum refigerans Galen. vel rubr. potabil. vel ungvent. Comitis. aliaqve, qvæ ſangvinem ſupprimunt, atqve coercent. Ita qvidem curare vulgo videas hæmoptoen; Qvod tamen prudentiores medici parum probant, tum qvod minus proſint, tum qvod ſæpius plurimum nocuiſſe compertum ſit. Cujus rei elegans exemplum relatum legimus apud Foreſtum,

ubi

ubi juvenis, hoc malo correptus a vi adſtringentium ſuffocatione periit. Medicus enim imperitus emplaſtrum ex gypſo, bolo, acacia, ſangvine draconis toti pectori appoſuerat, qvo qvidem ſangvinis ſputum coercitum fuit, ſed brevi poſt ægrotans ſuffocatione extinctus eſt. Cujus rei ratio in promptu poſita eſt. Emplaſtrum enim qvod toti pectori impoſitum erat, muſculos immobiles reddidit, eorumqve fibras motrices ita conſtrinxit ac coarctavit, ut ſe movere, pectusqve vel thoracem erigere & explicare non potuerint, qvo factum eſt, ut materia in pulmonibus contenta eosdem oppreſſerit, adeoqve ſuffocationem induxerit. Minus tuto etiam applicantur ungventa, oleaqve adſtringentia, qvia poros & meatus cutis obſtruunt & tranſpirationem valde impediunt, unde materia, qvæ exſpiratione reddi debu[illegible]tus remittitur, atqve in cavitate pectoris accumulata pulmones coarctat, qvo minus expandi & ſangvis grumoſus expurgari poſſit. Tutius eſt epithema *Pauli de Sorbait* hepati & ſcroto applicandum, conficiturqve ex pulv. bol. armen. terr. ſigill. nitri. croco Mart. adſtringent. aqva fabror. acet. roſac. vel hujus loco ceratum ſantalin. hepati & lumbis apponit. l. c. Minus qvoqve nocent balnea & pediluvia ex centinodia, plantagine, burſ. paſtor. alchymilla rad. ſymphyt. rub. tinctor. alth. lil. albor. qvæ qvippe blande adſtringunt & ſubinde aliqvod levamentum attuliſſe viſa ſunt.

THES. XXIV.

Ita qvidem ſe habet curatio hæmoptoes, qvæ tamen pro varietate cauſarum & aliarum circumſtantiarum varie inſtitui debet. Qvæ dum fiunt, victus ratio pariter habenda eſt, qvæ ſi curam non adjuvet, tamen ut illam ne retardet, aut impediat. Qvapropter fugienda erunt vina & potus calidi, cibi aromatibus conditi, vehementes corporis exercitationes, & motus animi, clamores, niſus in portandis oneribus, aliaqve recuperandæ valetudini fraudi eſſe poſſunt. Proinde ægrotans veſcatur juſculis avenaceis, aliisqve cibis refrigerantibus & adſtringentibus, præcipue lactuca, portulaca & ſimilibus. Sumat præterea freqventi uſu pulmenta ex farina pura oriza, amylo pane bis cocto, itemqve pedes vitulinos & arietum, qvibus qvippe gelatina ſangvinis augetur ejusqve acrimonia contemperatur. Cunducunt etiam carnes columbarum, gallinarum, piſcesqve ſaxatiles & cancri fluviatiles, qvæ qvippe cuncta ſucco qvodam glutinoſo redundant. Qvidam etiam magnificiunt gelatinam ex limacibus in aqva plantaginis ſæpius lotis, poſtea decoctis in aqva & ſucco plantaginis, donec illa in aqvam veluti ſolvantur, cujus unum vel alterum cochleare ſæpius ſumere jubent. Alii etiam addunt ſuccum urticæ, qvo omnino vis hujus gelatinæ multum augetur. Et hoc remedio duos hæmoptoicos ſanatos eſſe commemorat *Burnetti Theſaur. med. pract. Tom. III. p. 12.* Multi delectantur ptiſanis cum conſerv. roſar. veteri,

teri, ante ſomnum ſorbendis, mane vero ovo ſorbili cum pulvere ſuccini ſumpto.

THES. XXV.

Nec minus potus conveniens eligi debet. Illa autem ſit cerevisia tenuis chalybeata, vel decoctum rad. pentaphyll. aut tormentill. vel ſantal. rubr. aut hordei, cui guttæ qvædam Tinctur. fl. pap. rh. vel roſ. vel bellid. aut eſſent. traumat. Hagendornii, vel Michaelis inſtillari poſſunt. Nec inutile erit vinum rubrum, aqva platagini, vel chalybeata dilutum, praeſertim ſi ægrotans virium inops ſit, easqve magna ſangvinis profuſione perdiderit. *Hippocrates* autem commendat mali punici vinoſi ſuccum, aqva dilutum, farina lentium ſimul inſperſa. *Libr. 1. de morb. mul.* Habenda tamen qvoqve ratio loci eſt, in qvo verſatur ægrotans, & aer neqve nimis calidus neqve frigidus ſit. Calidior enim reſpiratione ductus ſangvinem rarefacit, ac vehementius exagitat, frigidior vero eundem condenſat, ejusqve motum compeſcit, utrumqve autem hæmoptoicis nocet. Alvus præterea qvotidie officium ſuum faciat, qvod ſi in eodem ceſſat, injecto clyſtere blando ſtimuletur, ſumto prius leni laxativo. Fortiora autem & acria purgantia fugere debemus, qvia vehementer exagitant, ſangvinemqve in conceptaculis ſuccutiunt, qvo facile ruptiones vaſorum, febres & alia mala produci poſſunt.

Vehemens enim purgatio ſæpius convulſionem ac ſingultum excitat, qvæ ſi ſupervenerint, mala ſunt, ſecundum Hippocr. S. V. aph. 4.

THES. XXVI.

Atqve hæc ſunt, qvæ pro temporis ratione & ingenii modulo de hæmoptoe exponere debui. Multa qvidem fateor, ſuperſunt, in qvibus tantum abeſt, ut omnibus, & ne mihi qvidem ſatisfecerim, qvæ qvoniam uſu & experientia edoctus nondum ſum, proinde ad experientiam reſervo. Plura autem dicere inſtituti ratio prohibeat, niſi ut Deo omnipotento pro concesſis viribus humillimas gratias perſolvam; benevolum autem lectorem rogem, ut ea, qvæ minus accurate expoſita ſunt, mihi ignoſcat, & æqvi boniqve conſulat.

FINIS.